Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 811
Quelle:
Copyright:

ieroſolomis bene uixiſſe laudabile eſt, loco: *ac ſic et de ieroſolimis et de brittannia equaliter patet aula regni celeſtis*, patriam conjecto, quin tamen auſim *Bedam* adpellare.

CCCLXIV.

U. 102 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 130. 8. nitide perſcriptus, Librorum initiis et fronte, quae *Mathiae Corvini Hung.* Regis inſignia praefert, picturata, inſcribitur purpura: *De uero iudicio et prouidentia dei et ipſius gubernacione hominum et rerum mundi huius: libri octo beati Saluiani* (additum recentius *maſſylienſis*) *Epiſcopi ad Sanctum Salonium Epiſcopum* (additum *Vienenſem*). *Prooemium.* Init ita: *Sancto epiſcopo Salonio Saluianus epiſcopus in domino ſalutem. Omnes admodum homines qui pertinere* &c. Et Liber I. *Incurioſus a quibusdam et quaſi negligens humanorum actuum deus dicitur* &c. Et Liber VIII. finit: *que patiantur et que fecerunt.* Retinet Codex hic etiam poſt *Rittershuſii* et *Baluzii* curas pretium ſuum inde, quod ex eo *Joh. Alex. Braſſicanus* noſter aureum hoc *Salviani* non Epiſcopi, ſed Presbyteri *Maſſilien.* circa *Coloniam Agripp.* oriundi, circaque an. 485. defuncti, ut pluribus *Hiſt. litter. de la France* T. II. p. 517. et *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. XVIII. docent, Opus cum Literatis opera *Frobenii Baſil.* 1530. f. communicaverit. An eum *Ludovici* Regis adoleſcentis dono, ut de quibusdam graecis Autoribus in ſua ad *Cph. de Stadion* Ep. *Auguſtanum* Praefatione fatetur, habuerit, an vero commodatum ſolum, ut typis ederet, in comperto non eſt. Utcunque ſe etiam res habeat, *Ludovico* a. 1526. paludibus *Mohacſinis* hauſto, et occupata mox a *Solymano Buda* opportune Codici accidit, a Bibliotheca abfuiſſe. Habet ille in marginibus manu *Braſſicani* eadem Summaria, quae nunc in Editione *cit.* viſuntur, habet et Numeros ad loca, ad quae ille Annotationes meditabatur nunc ſub iisdem Numeris p. 54. ad *Salviani* calcem adjectas. Adjutum tamen et alio *Codice* fuiſſe ſuadent ſubpletiones et emendationes, quas quandoque in ora videas. Ita ſtatim in *Prooemio* a prima manu defuit: *materias ſibi delegiſſent. Fol.* 3. p. 2. *nunc dicantes* emendatur per *vindicantes* &c.

CCCLXV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2132 X. Folior. 75. 4. min. optime ſervatus, nitidiſſime ſcriptus et rubro diſtinctus ita charactere majuſculo inſignitur: *In. hoc. Codice. Continent. Alcimi. aviti. Vienenſis. Epiſcopi. Libri. Numero. VI. Feliciter. De Inicio mundi. liber. Primus. De originali peccato liber. II. De Sentencia Dei liber. III. De dilvuio mundi liber. IIII. De tranſitu Maris liber. V. De conſolatoria laude Caſtitatis. liber. VI.* Dixi alio hujus *Vol.* loco, ut *Index* docet, de his Poematibus et

Au-